

DE GASTRO-ENTERITIDE MUCOSO-FOLLICULARI

589  
CP  
5  
**THESIS**

QUAM, CLARÆ HUIUS MEDICINÆ ACADEMIÆ, EXHIBEBAT  
ET IN PUBLICO ATHENÆO OPPUGNABAT

*Carolus Maspes*

TITULO DOCTORIS MEDICINÆ ATQUE CHIRURGICÆ AB UNIVERSITATE  
THICINENSIS JAM INSIGNITUS, UT:

**JUBENTIBUS LEGIBUS;**

PHACULTAS MEDICINÆ ET CHIRURGICÆ EXERCENDÆ

EI CONFIRMARETUR.



**PLUVII JANUARIÆ.**

EX TYPIS GUANABARENSIBUS L. A. F. DE MENEZES,  
VIA ST. JOSEPHI N. 47.

**ANNO MDCCCLI.**

# DE GASTRO-ENTERITIDE MUCOSO-FOLLICULARI.

---

## MORBI DEFINITIO.

Gastro-enteritidem mucoso-follicularem appellamus affectionem quamdam inflammatoriæ indolis: plerumque primitivam: membranæ mucosæ tubi digerentis inherentem: quæ, per ebdomadas decurrens, in sympathicam molestiam sæpe trahit pene omnes organismi humani apparatus: circulatorium nempe: nervosum, respiratorium et secretorium; resolutione vel organicis alterationibus terminandam.

## SINONYMIA.

Febres veterum essentielles; Sinoca putrida et non putrida Hippocratis: Febris pituitosa putrida, maligna aliorum auctorum: Febris meningo-gastrica, adeno-meningea ataxica, adynamica (Pinel) febris intestinalis aliorum Gallorum: Febris entero-mesenterica (Baglivi): Febris typhoidea (Louis); Dothi-enteritis (Bretonneau) Exanthema intestinale neothericorum, non nisi totidem gastro-enteritides mucoso folliculares constituunt.

## SYMPTOMATOLOGIA.

Prænnunciatur sæpe morbus follicularis tubi digerentis a symptomatibus sic dictis prodromis; alias vero subitam invasionem facit.

Prodroma symptomata pene omnia referuntur ad digestionis turbas; Sic aliquot dies antequam ægrotus febrî corripitur, cibi fastidium experitur, vel insuetam ejus cupiditatem: Prævum in ore saporem: quamdam molestam sensationem ad regionem hypogastricam post alimenta assumpta: nauseas, ventris tormina recurrentia: diarrhæam vel alvi constipationem: Morositatem et quamdam virium prostrationem.

Quando vero morbus subitam invasionem facit: æger de repente a febrili corripitur horrore cui subvenit ardentissimus calor cum gravi capitis dolore, ac sæpe stuporis specie; Facies accensa, oculi micantes fiunt: Non raro epistaxis observatur. Dolore ad regionem hypogastricam sub compressione exasperando, vomitu, torminibus intestinalibus exeruciat.

Lingua rubella ad apicem atque ad margines: denso muco ad dorsum oblecta tremula apparet; Gustus depravatus persentitur in ore: cibi adversatio: sitis ardentissima: Si medicus manibus compressionem ad regionem iliacam dexteram peragit, crepitu quemdam (gargouillement) persentit, patognomicum. Alvus modo adstricta modo cum tenesmo fluens observatur.

Pulsus se se exhibet frequens, sat durus; cutis urens, modo sicca, modo sudore nullum levamen referenti perfusa; occurrunt sudamina: et tendimur susultus; Queritur æger de magno lassitudinis sensu; Urinæ excernuntur paucae rubescentes.

Et symptomata hæc omnia, consistere queant, unam, vel alteram hebdomadam, dein vero mitescere, convenienti medela applicata, et semisim semisimque omnino dissipari in posterum.

In casibus vero magis periculosus, alia exasperari videntur: alia cessare subvenientibus non nullis longe gravioribus. Increscente morbo: accedit coma cum delirio alternanti: Typhomania cum magna virium prostratione: Pupillæ extensæ consistunt: Dentes nigrescunt, mandibula inferior tremula vix moveri potest; lingua sicca, arida, scissuris intersecta ac frustulis nigricantibus oblecta, apparet: abdomen alte resonans sub percussione evadit: Fæces fætidissimæ cum tenesmo evacuatur sanguini commixtæ, vel etiam involuntarie excernuntur: Respiratio dispnoica fit: pulsus parvus, frequentissimus (120-140).

Sat sæpe apparent miliaris, vel maculæ peticulosæ: Calor cutis de die imminuit, viscido sudore occurrenti: emaciatio corporis universalis magis atque magis spectabilis fit; Nulla est motus capacitas in ægro; Urinarum excretio suspenditur, vel involuntaria fit.

In lætalibus casibus; occurrit carphologia: pulsus jam antea parvus vix percipitur ad carpum: Extremitates frigidæ evadunt: Transpiratio odorem cadaverosum spirat: globuli oculorum quasi vitrei facti retractantur: Respiratio stertorosa fit donec vita cum morte commutatur.

#### EXITUS: PROGNOSIS.

Gastro-enteritis mucoso follicularis terminari potest: vel resolutione, vel organicis alterationibus. Semper reservata, vero, hujus morbi prognos, esse debet.

#### NECROSCOPIA.

In cadaveribus ex gastro-enteritide m. f. peremptorum, quam plures occurrunt alterationes; sic interdum conspiciuntur rubor, aphthæ, abrasiones ad œsophagum:

Alias, ventriculus striis ac punctis rubris notatus: ejus membrana nunc crassior, nunc gracilior facile lacerabilis sat sæpe occurrit.

Alterationes vero majoris momenti inveniuntur in intestino tenui: rubor nempe, abrasiones mucosæ, crassities, vel mollities; Folliculi hic, illuc prominentes, modo atrii coloris occurrunt, modo formam globularem, pustularem exhibentes, exanthematis miliaris ad instar; alias vero folliculi observantur tumidi, prominentes una cum glandulis Peyeri, et interdum gangrenosi: non raro adsunt exulcerationes et insa perforatio tenuis intestini.

Ad crassum : rubor, exulcerationes in altiori parte precipue conspiciendæ :

Ad mesenterium : rubor, tumiditas, suppuratio glandularum non raro, observantur.

Ad caput ; sanguineam congestionem meningum : exsudationem gelatinosam intra arachnoidem et encaphalum : Substantiam ipsam cerebri punctatam globulis sanguineis : Processus choroideos tumidos : Effusionem in ventriculis cerebri, sat sæpe conspeximus.

### ETHIOLOGIA : GENESIS.

Causæ quæ morbum, de quo verba facimus, progignere valent, sunt aliæ remotæ, seu predisponentes : proximæ aliæ, sive occasionales. Ad causas remotas referuntur omnes hygienis errores : Sic potus et cibi quantitate excedente assumpti, vel qualitate aberrantes, vita nimis sedentaria, vel excendens corporis labor, pervigilium, animi pathemata predisponunt ad hunc morbum ; Constitutionem vero corporis robustam, anni tempestatem æstivam, autumnali subentranti, clima calidum atque humidum fovere hujus morbi evolutionem, clinici pene omnes deduxerunt.

Causæ occasionales gastro-enteritidis mucoso-follicularis sunt : congestio quædam systematis venosi atque arteriosi tubi gastro-enterici, et quædam super excitatio systematis nervosi gangliaris atque cerebrialis.

Sententiis autem arridere non possumus illorum qui, pro causa proxima hujus morbi habuerunt humorum putridam fermentationem, vel aliquid exanthematum contagio affine, vel ipsam sanguinis alterationem putridam ac primitivam.

Non admittitur enim putrida fermentatio in corpore vivo.

Non admittimus pro causa aliquid peculiare contagio exanthematum affine, ex eo, quod forma nimis varia apparet in alterationibus intestinalibus, et constans sit exanthematum character, sub identica forma se se producere.

Et propulsamus sanguinis resolutionem et putridam ejus indolem primitivam : Siquidem : sanguinis putrida fermentatio non nisi in corporibus vita destitutis contingere possit, et sanguinis alterationes, quæ occurrunt in hoc morbo, non nisi ad consistentiam et colorem referri possunt ; mollities vero sanguinis, ater placentæ color, effectus potius consistunt affectionis intestinalis primitivæ, ad centra systematis nervosi diffusæ, ac deinde in apparatu nervoso respiratorio reflexæ, quam primitivæ alterationis : Revera : peracta a causis predisponentibus repetitis tubi gastro-enterici sanguinea congestione, methamorphosis progrediens jam alterari debet : Ventriculus inflammatus chimum optimum parare non potest, nec tenue intestinum chylum optimæ indolis suppeditare : irritatio vero tubi intestinalis diffusa per nervos ad centra nervosi systematis oscillationes tumultuarias in iisdem centris excitat : innervationes ex inde inordinatæ peraguntur, abnormes : et quum sanguificatio sive sanguinis oxidatio in pulmonibus a nervis gubernetur, necessario ipsa alterari debet, abnormi facta innervatione.

## MEDENDI RATIO.

Ad rectam hujus morbi curationem instituendam maxime interest ad mentem conferre inventa necroscopica, rubores nempe, atque abrasiones, exulcerationes, &c.

Hæc omnia non nisi effectus prægressæ phlogosis intestinalis ad caput diffusæ à nobis habentur, et non nisi methodo antiphlogistica præcavenda.

Commendamus hinc sanguinis evacuationes generales atque locales: generales cito instituendæ sunt, nempe in primis morbi diebus atque in individuis, fortiori corporis constitutione donatis; Evacuaciones locales adhibendæ sunt in individuis minus robustis, vel quando pulsus nec tam durus nec tam plenus se se presertit: et peraguntur hyrudinum vel cucurricularum ope: ad epigastrium, ad abdomen, ad caput.

Commendamus purgantia: oleosa præcipue et calomelanum: potus mucilaginosos, vel etiam sub acidulos: clysmata emollientia: fomentationes emollientes super abdomen: diætam absolute negativam, nempe: jusculis carniùm et quidem dilutis, ægro tantum concessis.

Serius juvabunt revellentia partibus inferioribus super imposita: vesicatoria nempe et sinapismata; nec respuenda erunt in stadio typhoso, supervenientibus symptomatibus non nullorum ataxicis, adynamicis: camphora et cortex peruvianus sub decoctionis forma, nec non chlorureta calcis et sodæ; optime enim conducere in hoc morbo, hæc pharmaca visa fuerunt: veteribus atque neothericis testantibus.

Sub fine morbi præstabunt amaricantia.

Plures veterum et non nulli inter neothericos a prostratione corporis virium, sanguinis fluxibus, emaciatione et symptomatibus nervosis in genere, placuit, inferre naturam morbi hyposthenicam, et proinde indicationem medelæ stimulantis applicandæ.

Nos indulgere non possumus horum sententiæ: siquidem: ut jam a supradictis, nostra mens est: gastro-enteritidem mucoso-follicularem morbum consistere inflammatoriæ indolis, et symptomata nervosa molestiam patefacere systematis nervosi: non debilitatem aut hypostheniam comprobare.

## CONCLUSIO.

Ex omnibus expositis concludere licet: Gastro-enteritidem mucoso follicularem morbum constituere primitivum, indolis inflammatoriæ, nec alia methodo quam antiphlogistica oppugnandum.

Symptomata nervosa a non nullis hyposthenica considerata, consensualem molestiam systematis nervosi: non veram hypostheniam indicare.

Sanguinis tandem alterationes, non nisi necessarios esse effectus turbatæ digestionis, et sympatiæ molestiæ systematis nervosi, super apparatus respiratorium reflexæ.

# APHORISMI HIPPOCRATIS.



## I.

Acutorum morborum non omnino sunt certæ solutionis aut mortis predictiones.

Sect. II. Aph. 19.

## II.

Mutationes anni temporum maxime pariunt morbos: et in ipsis temporibus mutationes magnæ, pro ratione, ex eodem modo.

Sect. III. Aph. 1.º

## III.

Naturarum quædam ad æstatem, aliæ vero ad hiemem bene vel male se habent.

Sect. III. Aph. 2.º

## IV.

Hydropicis tussis superveniens: malum.

Sect. VI. Aph. 35.

## V.

In morbis acutis extremarum partium frigus: malum.

Sect. VII. Aph. 1.º

## VI.

A plaga in caput stupor aut delirium: malum.

Sect. VII. Aph. 14.

Conformem Facultatis Constitutionibus hanc thesiam esse declaravit.

Dr. *Emanueli de Valladone Pimenteli.*